Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1451
Quelle:
Copyright:

dant. His, qui animas ſuas liberare, et ab interitu eripere voluerint, datum a quodam Amatore Jeſu Chriſti. Luc. 8. v. 8. Qui habet aures audiendi, audiat. E Fratribus *Moravis*, ſive *Bohemis* eſt Amator iſte, qui poſt admonitionem ad Lectores Seriem proponit *Capitum* XXXII. eique Συνοψιν totius Operis, quod *Demonſtratione* et *Admonitione* conſtat, ſubjungit. C. 1. conqueritur de Hominum ſui aevi vacillatione et inſtabilitate in Religionis negotio. C. 2. inquirit in hujus mali cauſſas. A c. 3. Eccleſiam Romanam impugnare incipit, et, quod erat expectandum, definit in *Jeſuitis*. An errores occurrentes Autori, an Librario tribuendi, incertum. Quid v. g. c. 21. *Bertuch. in Rupert. in tict. Papę?* Nunquid *Bertachinus in Repertorio in Dictione* ſeu voce *Papa?* Quid ſub finem: *Crux Triumphabit* cum Signo Crucis efformato, homini, qui in uſum hujus Signi invehitur? Thecae exteriori utrinque impreſſum eſt Inſigne primi Poſſeſſoris Anſer et in area et ſupra galeam ramo inſiſtens, piſcemque roſtro tenens, quod Inſigne *Kochticzkiorum Sileſiorum* eſſe video apud *Job. Sinapium* in *Schleſiſch. Curioſität.* T. I. p. 201. et *Frid. Lucae* in *Schleſ. Denkwürdigkeit.* T. II. p. 1729. Itaque et circa Inſigne lego: *Andreas a Kochticz in Koſſenczin et Turmawa.* Memorant Autores mox citati *Andream Kochtitzkium* a. 1633. Regi *Sueciae* a conſiliis legationis bellicae, ejusque Bibliothecam celebrant, ſi modo unus idemque eſt, ad an. 1613. nullibi tamen huic Familiae poſſeſſiones adtribuunt, quae ſupra nominantur.

DCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 525 ſaltem XIII. Folior. 144. 4. min. charactere atro, luculento, craſſo perſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim κτημα *Job. Fabri* Ep. *Vien.* ingreditur ab Epiſtola: *Fratri in chriſto kariſſimo! illuminatos oculos. Lego et relego cariſſime opus ueſtrum de officiis. multumque me delectat eius lectio tum pro ſui utilitate. tum pro auctoris dulciſſima mihi karitate.* Sed eſſe, quae amice moneat, antequam Opus iſtud exeat. *Cum enim in ordine diuini ſacrificii tria illa digeſturus. materiam. intentionem. cauſamque finalem de materia ageretis. dixiſtis poſt multa. Sed dicit mihi adverſarius. Viuens et ſenſibilis in corpore ſuo mobilisque eſt deus et homo chriſtus. Corpus autem ſacrificii uitam non habet. ſenſum non habet. mobile non eſt. Corpus ergo domini non eſt. Ad hęc uos contra adverſarium. Obſecro te quam in corpore domini uitam requiris? Eſt enim uita animalis. eſt ſpiritualis. Animalis uita quinque ſenſibus fungitur. Viſu. odoratu. auditu. guſtu et tactu. hęc uita animalis eſt. carnalis eſt. caro eſt. Dominus autem dicit. quia caro non prodeſt quicquam. Et poſt aliquanta. Solam ergo ſpiritalem uitam in ſacrificio nobis amminiſtrare ſapientiam eius dece-*